

substantialis mutatio quam accidentalis, ex genere suo mortale peccatum est, nisi vel ob levitatem materiæ, vel ob deliberationis defectum excusetur.

XXXVI. Ex quo sequitur primo, quod cum mutatio materiæ vel formæ a Christo Domino institutæ, de qua præceptum est, possit dupliciter fieri; aut destruendo totaliter materiam vel formam, vel in dubiam commutando; qui mutat formam aut materiam totaliter destruendo, peccat gravissime, nec admittit parvitatem materiæ; si autem sine deliberatione et advertentia fiat, caret etiam intentione faciendi sacramentum, et sic non est forma sacramentalis. Patet hoc manifeste, quia facit contra præceptum divinum in re gravissima, et contra virtutem religionis et cultus Deo debiti.

XXXVII. Quando autem mutat quis formam aut materiam, commutando illam in dubiam, dupliciter adhuc potest procedere; aut enim potest certam ponere et indubitam, et tunc peccat mortaliter contra idem præceptum divinum, quia exponit se periculo non conficiendi sacramentum in re, cum tamen præceptum sit conficiendi illud in re taliter, quod effectum suum sortiat. Sacramenta enim operantur ut in re: et sicut mutare illud in re certo et indubitanter est mortale, ita periculo se exponere mutandi in re, erit mortale. Deinde, quia tunc fit magna variatio in sacramento, cum apponatur materia dubia, relicta certa: ergo erit mortale peccatum, cum variatio notabilis in substantialibus sacramenti sit ex genere suo mortale peccatum.

XXXVIII. Si autem non potest quis certam et indubitam formam aut materiam apponere, et alias est necessarium ministrare sacramentum

potest uti illa quam adhibere potest, quia tunc practice et moraliter non exponit se periculo, sed patitur periculum, ne articulus necessitatis prætermittatur, sed succurratur homini eo modo quo potest; et sic non fit irreverentia aut injuria sacramento, sed potius magnus honor, cum in necessitate illa adhibetur eo modo quo potest, ne sine illo omnino remaneat homo.

XXXIX. Nec obstat, quod illa forma sit dubia, pro illo enim casu practice est certa, quia non occurrit alia, et propter necessitatem sacramenti debet occurri ea, qua potest; et ideo non facit illam certam tunc minister, sed illa quæ est dubia utitur, non prout dubia, sed ut ad succurrendum necessitati assumpta. Sicut qui occidit hominem in defensionem suam; et prægnans quæ sumit medicamentum, ex quo sequitur aborsus, isti patiuntur illud malum, non faciunt, quia non ut homicidium, sed ut conveniens ad salutem assumitur. Si vero non sit magna necessitas, sed commode differri potest sacramentum, non debet adhiberi illa forma dubia.

XL. Secundo sequitur, quod qui mutat ritus Ecclesiæ, et facit accidentalem mutationem in forma aut materia, de qua alias est præceptum ecclesiasticum, graviter peccat. Et in primis, si quis non utatur verbis, quibus communiter Ecclesia utitur, si quis ea corrupte proferat, etiamsi substantialiter non mutet, saltem quoad accommodationem usus, idque de industria; si quis omitteret mixtionem aquæ cum vino in calice. Ratio hujus conclusionis est, quia omnes istæ mutationes fiunt contra præceptum Ecclesiæ in materia religionis: ergo sunt sacrilegia; et consequenter ex genere peccata mortalia. In hac tamen lege admitti potest parvitas materiæ, ex qua ve-

niale peccatum fiet mutatio illa; ut si quis vulgari sermone proferat formam baptismi, etiamsi possit Latine, nisi absit scandalum. Aliqui etiam censent qui omiserit particulam enim in consecratione panis, esse levem materiam, et similiter si addiderit: Quod pro vobis tradetur, dummodo non intelligat id esse essentielle formæ.

XLI. Denique, juxta sapientis arbitrium judicandum est de parvitate aut levitate materiæ, et attendendum ad usum et observationem Ecclesiæ, quæ magis arcte in uno procedit quam in alio; unde arctius obligat non proferre in lingua vulgari eucharistiæ formam, quam alterius sacramenti. Et attendendum etiam est, an sequitur scandalum vel contemptus; ratione enim istorum aggravari potest valde mutatio hujusmodi. Potest autem mutatio esse adeo levis, etiam in pronuntiatione corrupta, ut non sit peccatum grave, aut etiam sit nullum, quod in individuo judicari nunc non potest; sed sensui, quem generat prolatio corrupta, et circumstantiis aliis relinquendum est.

XLII. Tertio sequitur, eum qui intendit introducere novum ritum Ecclesiæ contrarium, etiamsi alias non mutet substantialem sensum, peccare mortaliter, quia ritus Ecclesiæ sunt in præcepto in materia gravi, contra quod sic intendens prævaricatur et peccat, et in re gravi et sacra injuriam infert Ecclesiæ.

PROPONUNTUR ARGUMENTA.

XLIII. Objicies primo: Nam in re morali licitum est uti opinione probabili: ergo quantumvis quis sciat dubiam esse formam aut materiam, dummodo sequatur opinionem probabilem, non peccat, ut si quis hap-

tizet: In nomine Genitoris et Geniti, etc. Antecedens patet, quia si sequi non liceret opinionem probabilem, non esset opinio, sed esset improbabilis in re morali. Et habet hoc majus pondus, si ipse minister sit in ea opinione, quod per talia verba verum conficitur sacramentum; tunc enim potest uti opinione sua, et sequi ipsam, cum sit probabilis.

XLIV. Respondetur licitum esse uti opinione probabili, quando est opinio non circa factum, sed circa jus, id est, quando est opinio probabilis quod sit licitum: si autem est opinio probabilis de facto ipso, sed non de hoc an sit licitum, vel non, nequaquam possumus sequi illam opinionem. Est exemplum: Dubito an id quod video sit homo, vel fera, taliter quod est probabile, non esse hominem; tunc non possum sagittare illud: si autem dubito an sit licitus aliquis contractus, vel non sit licitus, taliter quod habeo probabiles rationes, possum illum exequi.

XLV. Pro intelligentia autem hujus duo notanda sunt ex his, quæ docere solent theologi in prima secunda agendo de conscientia. Primum est, quod licet in speculativis omne probabile sit etiam dubium et formidolosum ex natura sua, tamen in practicis aliud est probabile, aliud dubium, si de probabilitate certitudo sit. Nam in speculativis, cum ejus finis sit attingere veritatem, veritas autem reguletur penes id quod est, vel non est, quicumque non attingit per rationes rem ut est, manet dubius, licet probabiliter procedat, quia quamdiu mens non tangit rem in se, fluctuat circa illam. At vero in practicis non regulatur mens penes id quod est in re, sed penes conformitatem ad rationem rectam et prudentiam: unde qui tangit rationem rectam et pru-

dentiam, non est dubius practice, sed certus. Qui autem probabilibus rationibus procedit, ita ut sit certus de probabilitate, prudenter et non temere procedit, attingitque regulam praxis; et ideo licet sequi talem opinionem probabilem.

XLVI. Secundo nota, quod aliud est esse tutiorem opinionem, aut probabilem, aliud tutiorem electionem in dubiis rebus; non enim tenetur quis sequi tutiorem opinionem, sed sufficit sequi probabilem; tum ob rationem dictam; tum exemplis, ut in confessione potest quis cum cognita attritione accedere, libet oppositum sit tutius; potest et quis non confiteri circumstantiam dici festi, licet oppositum sit tutius, etc. At vero in dubiis tenetur semper tutiorem partem eligere, ne exponat se periculo peccandi; quia est principium per se notum practicum, quod nullus debet se exponere periculo peccandi, licet aliquando pati illud possit. In sacramentis ergo nunquam licet eligere formam dubiam, quia exponitur periculo errandi, sicut nec in dubio facti possum sagittare. Quando autem moraliter non est dubia, licet sit speculative, sed probabile est speculative et practice de materia aut forma, aut ministro, licet sequi talem opinionem, quia ut sacramenta licite fiant, non requiritur certitudo in re, sed in prudentia et morali æstimatione.

XLVII. Secundo objicies: Nam in confessione sæpe licet uti materia probabili, relicta certa: ergo doctrina data est falsa. Antecedens probatur, nam primo licet cum sola attritione supernaturali cognita confiteri, relicta contritione, cum hæc sit certa materia, illa probabilis. Secundo, licet tacere peccatum aut circumstantiam, quando est probabile quod potest taceri. Tertio, licet eligere ministrum, de quo est pro-

babile an habeat vel non habeat jurisdictionem; ut quæ eligit pro confessore illum, cui non est data licentia confitendi feminas. Et multi similes casus sunt, in quibus omnibus est in re periculum non faciendi sacramentum, et tamen licet sic facere.

XLVIII. Respondetur in his casibus et similibus, non solum esse probabile sic confici sacramentum, sed etiam esse probabile sic esse licitum accedere. In primo enim casu certum est sufficere ad validitatem sacramenti attritionem cognitam, quamvis an consequatur res sacramenti, sit sub opinione. Cæterum probabile est, quod sit licitum ita accedere, tum propter difficultatem contritionis, tum quia est sacramentum mortuorum dans ex opere operato primam gratiam. Verum est, quod qui non difficulter posset ad contritionem præparari, peccaret si relicta hac certissima dispositione minus certam eligeret, ob negligentiam suam.

XLIX. In secundo casu certitudo etiam est practica, quod tunc est debita materia sacramenti, si quidem facit confessionem formaliter integram, id est, ubi non ex negligentia aut malitia aliquid tacetur, sed prudenter et secundum probabiles rationes, quæ ad prudenter omittendum sufficient; et quod prudenter omittitur, non sub dubio, sed certo, confessionem non diminuit, sed integram formaliter facit, esto materialiter videatur diminuta.

L. In tertio casu etiam opinio non versatur solum circa hoc, an teneat sacramentum factum a ministro sic electo; sed opinio est, an possit eligi, id est, licite eligi, cum ly possit ibi intelligatur moraliter; et consequenter, an etiam licite ipse electus ministrare possit; alias enim si de hoc non esset probabili-

tas, non posset licite sic electus ministrare.

LI. Dices: Est probabilitas an talis possit eligi; et consequenter an jurisdictionem habeat; ergo opinio versatur circa id quod est in re, an fiat vel non fiat sacramentum; ergo quantumcumque sit opinio, an sit licitum sic ministrare, tamen periculum manet non conficiendi in re, quamdiu est opinio, an habeat jurisdictionem in re; et ita nisi certum sit valide confici sacramentum, non potest probabiliter procedere practice et licite.

LII. Respondetur, quod ut aliqua opinio practice non relinquat dubium, non oportet quod habeat certitudinem mathematicam, et securitatem in re de ipso facto, sed sufficit quod habeat moralem et prudentialem securitatem, ita quod moraliter non sequatur periculum; et ita habeat fundamenta, quibus moraliter et prudentialiter, licet non evidenter, existimet de certitudine facti; qui enim facit moralem et sufficientem diligentiam, ut in aliquo loco non sit homo, sagittare potest, licet securius esset non sagittare, quia non tenetur securiorem sequi opinionem, et apponere securitatem in re, sed potest sequi eam, quæ moraliter est segura. Quando autem est facta diligentia, sed non omnino, ita ut adhuc moraliter maneat dubium, non potest sagittare. Sic qui habet opinionem circa validitatem sacramenti, taliter quod moraliter redeatur certus, et opinari possit de certitudine facti seu validitatis, licet in re non sit certus, potest secundum illam opinionem uti sacramento, quia moraliter non se exponit periculo, licet in re et mathematicè non sit certus. Et ita se habet opinio de eligibilitate ministri.

LIII. Si vero quis habeat opinionem, taliter quod non sit moraliter

certus de valore, non potest illa uti, quia practice est dubius. Est tamen moraliter certus de validitate, quia Ecclesia supplet jurisdictionem, quæ est in sua potestate, quoties est probabile illam habere ministrum, propter communem errorem populi: et hoc est certum, quod non contingit in materia et forma, quas non potest Ecclesia supplere.

LIV. Tertio objicies: Si quis accedens ad orandum, aut audiendum missam, non serio id velit facere, nec cum intentione et attentione, non peccat mortaliter, dummodo alio tempore habeat voluntatem implendi præceptum orandi, aut audiendi missam: ergo similiter qui accedit ad sacramentum conficiendum, potest sine intentione, et cum mutatione formæ procedere, dummodo alio tempore habeat voluntatem conficiendi sacramentum, nec ideo tamen graviter peccabit. In utroque enim casu acceditur ad aliquid quod involvit cultum Dei: ergo sicut in uno non peccatur graviter, nec in alio.

LV. Respondetur, esse magnam disparitatem inter unum et aliud. Primo quidem, quia oratio non est aliquid sacrum tractandum, quod si sine debita attentione fiat, ideo sit grave peccatum, dummodo alias ejus præcepto satisfiat. At vero sacramentum est res sacra et sacratissima, in qua nostrum consistit remedium et peccatorum remissio, et fidei ac religionis professio; ideoque ex natura sua petit, ut quotiescumque tractatur, debite et vere tractetur, non ludere.

LVI. Ex quo secundo fit, quod oratio pure habet præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper; sed dummodo aliquando, id est, debito tempore impleatur, extra hoc non est obligatio orandi; ac proinde nec attentionem habendi ad orationem, cum hæc solum sit præcepta

quando oratio ipsa præcepta est. At vero sacramenta et habent præceptum affirmativum ut conficiantur, et hoc obligat pro aliquo tempore, et non pro semper; præterea habent negativum ortum ex natura rei sacræ, et institutionis Christi, ut quotiescumque ministrantur, vere et se-

rio et debite ministrentur, propter sacratissimum illud opus, quod tunc fit; et ideo ratione hujus negativi præcepti, scilicet, quod non falso fiant unquam, nec indebite tractentur, et cum magna mutatione, non potest unquam sacramenti forma sine gravi peccato mutari.

QUÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAMENTORUM.

DISPUTATIO XXIII.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

CONCLUSIO: SACRAMENTA SUNT DE NECESSITATE SALUTIS.

I. Titulus articuli intelligendus est de omnibus sacramentis, scilicet, non solius legis gratiæ, sed etiam legis veteris, et legis naturæ; cum de omnibus his in hac quæstione agat D. Thomas, et rationes ejus in hoc articulo, tam in argumento Sed contra, quam in corpore, de omnibus procedant sacramentis. Et diximus de omnibus, distributione facta pro generibus singulorum, seu distributione accommodata, non pro singulis generum. Inde vero oritur dubium, quomodo inquiretur an sint necessaria, cum non omnia sint media ad salutem; nec enim de ratione sacramenti est quod sit causa gratiæ et salutis, sed præcise quod sit signum practicum illius: ergo in ratione sacramenti, ut signum est, inquireri non debet an sint media, vel sint necessaria ad salu-

tem, si quidem id non videtur esse de ratione sacramenti.

II. Respondetur nihilominus, aliud esse quod sacramentum sit causa rei sacræ, seu gratiæ: aliud quod sit necessarium ad salutem; illud enim non pertinet ad institutionem, qua signa ista sacra instituta sunt, quasi sit essentia eorum causas esse gratiæ, quia de se non sunt omnia sacramenta instituta ut causæ, sed ut signa; ideoque essentia eorum non consistit in eo quod est causare gratiam; at vero esse necessarium ad salutem, non inquiretur hic tamquam quid essenziale sacramento; supponitur enim ejus essentia jam explicata præcedenti quæstione, sed supposito quod essentia sacramentorum sit esse signa practica gratiæ, et protestativa fidei, an taliter ordinaverit illa Deus ut decreverit salutem non dare hominibus, nisi per protestationem et usum talium signorum, etiamsi talia signa non sint causa illius salutis ex vi essentiæ suæ, sed signa. Inquiretur ergo D. Thomas de necessitate horum signorum ad salutem, sive causæ illius sint, sive non; sicut observatio mandatorum est necessaria ad salutem, licet non sit causa gratiæ et salutis effectiva, secundum essentiam suam.